Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8337
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

De adulatione blandimento et assentatione. ca. iiij.

Salomon in proverbiis. ca. p°. Si te lactaverit peccatores, non acquiescas eis. Idem. xxvij. ca°. Meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulosa oscula blandientis.

Isocrates in exortationibus. ca. Odi blandientes tamquam decipientes. Nam utrique commissarii facti iniuriant commissis.

Aristoteles rhetoricorum. libro p°. ca. xx. Adulationem recipere et adulari delectabile est. Apparens amicus adulator est. Idem. lib°. ij. ca. viij. laudare presentem adulationis est.

Idem. Ethy. libro. iiij. ca. iiij. Omnes blanditores obsequiosi serviles et humiles sunt.

Ibidem. libro. viij. ca. v. Amatores adulationis multi sunt. Idem magnorum moralium lib°. ca. Adulator est plus decentibus existentibus adiciens.

Therentius in prima Comedia que dicitur Andria. ca. iij. Hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit.

Tullius rhetoricorum artis nove. libro. v. ca. vj. Habet assentatio iocunda principia, eadem exitus amarissimos affert.

Ovidius sine titulo sive amorum. libro. p°. ca. viij.
Impia sub dulci melle venena latent.

Seneca epistularum ad Lucillum. libro. vj. Epistula. iij. Adulatio quam similis est amicitie notatur. Non imitatur tantum illam sed vincit et preterit. Apertis ac propitiis auribus recipit, ac in precordia yma descendit, et ipso gratiosa quo ledit ledit. Idem in proverbiis. Habet suum venenum blanda oratio.

Autor libri de formula honeste vite. ca. iiij. Adulatores devita. Difficillimum continentie opus est assentationes adulantium repellere, quorum sermones animum quadam voluptate resolvunt. Nullius per assentationem amicitiam merearis, nec ad promerendi ad te aditum aliis pandas. Non acerba sed blanda timebis. Citius esto benignus, nemini blandus.

Cato. ca. ij.
Noli homines blando nimium sermone probare.
Fistula dulce canit volucrem dum decipit auceps.
Idem. ca. iiij.
Sermones blandos blesosque vitare memento.
Simplicitas veri fraus est forma ficta loquendi.

Cassiodorus epistularum libro. xij. rescripti. Epistula. x. Gravius perit quam blandiendo recessatur.

Idem de amicitia. ca. xvj. et ante. Hostis dulcis amicus amarus est.

Versificator fabularum exopi. lxiij. fabula. rescripti.
Blanditie plusquam dira venena nocent.

Montanarius in luna. dec. ca. xxviij.
Sugit adulator lac peccatoris ad uber.

Proverbium vulgare. Lusinghe del nemico e come passare al pamo.

De simulatione et dissimulatione. ca. v.

Salomon in proverbiis. ca. xj. Simulator ore decipit amicum suum. Idem. xij. Qui simulat iniuriam callidissimus est.

Regum. libro. iij. ca. iij. Due mulieres venerunt ad regem Salomonem etc. usque ibi non occidatur, hec est enim mater eius.

Salustius in Cathilinario. Quidam nomine Lellius Tarquinius ad Senatum adductus erat, quem ad Cathilinam proficiscentem ex itinere retractum aiebant. Hic cum diceret se indicaturum de coniuratione Cathiline si fides publica sibi data esset, iussus a consule que sciret dicere, de paratis incendiis, de cede bonorum, de itinere hostium Senatum docet. Preterea se missum a Marco Crasso qui Cathiline nuntiaret ne eum Lentulus et Gegheus aliique ex coniuratione deprehensi terrerent, eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et ceterorum animos reficeret, et illi facilius ex periculo eriperentur. Sed ubi Tarquinius Crassum nominavit hominem nobilem maximis divitiis summa potentia, alii rem incredibilem rati esse, pars tamen in tali tempore tanta vis hominis magis
quam exagitanda videbatur.
plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii. Clamabant omnes falsum iudicem, deque ea postulant ut referatur. Itaque consulente Cicerone frequens senatus decernit Tarquinii iudicium falsum esse, eumque in vinculis retinendum, neque amplius potestatem faciendi nisi de eo indicaret, cuius tanta re maneret mentitus.

Tullius de officiis libro. ij. ca. xvij. Ficta omnia celeriter tamquam flosculi decidunt, nec simulatum quicquam potest esse diuturnum.

Ovidius de arte amandi. libro. p°.
Sepe tamen vere cepit simulator amare.
Sepe quod incipiens finxerat esse fuit.

Seneca declamationum seu civilium causarum. li°. p° in prohemio. Utilissima est dissimulata subtilitas que effectu apparet, habitu latet. Idem in proverbiis.